

QUID FRANCISCUS PETRARCA ET NONNULLI HUMANISTAE, QUI DICUNTUR, DE ALIORUM, IMPRIMIS VETERUM SCRIPTORUM, STILI IMITATIONE SENSERINT

Petrarca anno 1366°, quo *Familiarium Rerum Librorum* corpus perfecit, epistulam 19^{am} libri 23ⁱ ad Ioannem de Certaldo, id est Giovanni Boccaccio, misit¹⁾. Eum Ioannem Malpaghini, iuvenem Ravennatem et adiutorem suum, *Familiares epystolas* transscribentem *ad exitum perduxisse* certiolem facit (7). Malpaghini *ad artem poeticam pronom* esse adiungit. Sperat adulescentem *animum et stilum firmaturum*, id est eis vires additurum. Pergit his verbis (10): . . . *et ex multis unum suum ac proprium conflabit et imitationem non dicam fugiet, sed celabit, sic ut nulli similis appareat, sed ex veteribus novum quoddam Latio intulisse videatur*. De Malpaghini loquentem Petrarcam dixisse, quod ipse rectum censeret, e multis epistularum locis patet. Ita in epistula 8^a libri primi²⁾ sibi optat, ne *huius stilum aut illius, sed unum nostrum conflatum ex pluribus habeamus*. In epistula 15^a libri 21ⁱ sine cuiusquam mortalis auxilio in eo genere ad suum et proprium quandam modum suffecturum sibi ingenium se arbitratum esse scribit. Verba *in eo genere* ad vulgare eloquium, de quo supra agit, spectant, id est ad carmina Italice componenda. Iuvenis enim Petrarca verebatur, ne, ut verbis ipsius utar, si Dantis . . . dictis imbueretur . . . vel invitus ac nesciens imitator illius poetae evaderet. Timebat, ne Dantem imitari nimis cuperet, quia *nihil elegantius* quam Dantis vulgare eloquium existimavit, quo ille *clarior atque altior quam carminibus* (Latinis) *et prosa* (oratione Latina) *assurrexisset* (24)³⁾. E contrario

1) De anno cf. E. H. Wilkins, *Petrarch's Correspondence*, Padua 1960, p. 87. H. Gmelin, *Das Prinzip der Imitatio in den romanischen Literaturen*. II. Petrarca, in *Romanische Forschungen* 46, 1932, p. 125, epistulam ita summam describit: „Dieser Brief gibt in reizvoller pädagogischer Form Petrarca's Lehre von der Imitatio mit besonderer Berücksichtigung des Rates, wörtliche Nachahmungen zu vermeiden.“

2) De hac epistula, quae commenticia est, cf. G. Martellotti, *Petrarca latinae eloquentiae restitutor*, 5^{ème} Congrès international pour le latin vivant, Pau, du 1^{er} au 5 avril 1975, p. 78.

3) Cf. Gmelin, loc. cit., p. 125–127: „Da er selbst“, id est Petrarca, „in der

Petrarca carmina sua Latina, imprimis poema epicum *Africam*, multo pluris quam Italica, ut *Il Canzoniere*, *Vulgarium Rerum Fragmenta* a se appellata, et *I Trionfi*, duxit. Ut poeta noster aliis linguis, vel Italico sermoni suo nativo, linguam Latinam praeferret, ideo quoque fortasse factum est, quod sonus ipse verborum Latinorum ei vehementer placebat. Ita in *Rerum Senilium* epistula prima libri 16ⁱ affirmat haec: ... *ab ipsa pueritia ... ego libris Ciceronis incubui ... Illa quidem aetate nihil intelligere poteram, sola me verborum dulcedo quaedam et sonoritas detinebat, ut quicquid aliud vel legerem vel audirem raucum mihi longeque dissonum videretur. Erat hoc fateor in re pueri non puerile iudicium, si iudicium dici debet, quod nulla ratione subsisteret.*

Petrarca deinde in epistula secunda libri 22ⁱ (16) se in animo habere stilum alienis dictis – *nisi prolato auctore*⁴⁾ *vel mutatione insigni* – non ornare declarat, ut imitatione apium e multis et variis unum fiat. Hoc est, cum in scribendo multis et variis scriptoribus utitur, eos ita mutare vult, ut tamen stilus suus et unus maneat⁵⁾. Exemplum huius rei invenitur in epistula initio allata (10), ubi de Malpighini dicit: *ut ... ex veteribus novum quoddam Latio intulisse videatur. Nemo est, quin animadvertat verba laudata ex Horatio derivari, apud quem legitur in epist. II,1,156–157: Graecia ...*

Volkssprache gedichtet habe, habe er trotz aller Bewunderung für Dante dessen Werk nicht besitzen wollen, gerade aus Furcht, zu sehr in seine Abhängigkeit zu geraten ... Er habe gerade in der Vulgärsprache sich aus eigener Kraft entwickeln wollen ...“ Petrarca „das Prinzip hatte, die Imitatio innerhalb der eigenen Vulgärsprache nicht nur wie im Lateinischen zu verschleiern, sondern nach Möglichkeit ganz zu vermeiden ... Nachahmung innerhalb des Lateinischen ... auch theoretisch empfiehlt“, scilicet Petrarca, „allerdings nicht als wörtliche Nachahmung, sondern als Paraphrase, als eine Art Übersetzung innerhalb ein und derselben Sprache, aus dem Latein der Klassiker in das Latein der Humanisten.“ Vide etiam J. Petrie, *Petrarch, The Augustan Poets, the Italian Tradition and the Canzoniere*, Dublin 1983, p. 13, qui ad *Fam.* XXI, 15,11, notat haec: „Petrarch tells Boccaccio that he had avoided the close study of the works of Dante (or, it would seem, any other Italian poet) out of a fear of being too much influenced, and becoming an imitator without knowing it ...“

4) Quod ad verba *nisi prolato auctore*⁴⁾ attinet, Gmelin, op. cit., p. 124, adnotat: „Petrarca pflegte in Fällen, wo ihm die Präzision im Ausdruck des Vorbildes unnachahmlich schien, wörtlich zu zitieren und die Stelle als Zitat zu kennzeichnen ...“

5) Cf. U. Bosco, *F. Petrarca*, Bari, 2^a edit., Bari 1960, p. 131–132: «L'altro metodo è quello della ‚mutatio‘ ... il Petrarca spesso si studia di cambiare quasi ogni parola ... Ma la vera ‚mutatio‘, quella cui il Petrarca tiene, non è evidentemente questo gioco verbale. Egli mira a una creazione ex-novo, tutta sua, a una trasformazione radicale dei materiali offertigli dalla tradizione. Ed è naturale che ciò lo preoccupi soprattutto quando scrive in poesia italiana: ‚in his maxime vulgaribus‘.»

artes / intulit agresti Latio. Pauca verba sunt communia, plura diversa. Vel communia quodam modo mutantur. Ita etiam Petarca *Latio* habet, sed adiectivum *agresti* omittit. Pro verbo finito *intulit* infinitum perfecti *intulisse* ponit.

Tum in epistula secunda libri 22¹ (16–17) affirmat *multo malim* (quam alios imitari) *meus mihi stilus sit* et monet *suus cuique* (stilus) *formandus servandusque est*. Id fieri posse addit, quia omnibus hominibus *naturaliter ... in sermone quiddam suum et proprium sit*⁶). Stilum suum esse Angelus Politianus quoque plus quam centum annis post vehementer expetivit. In epistula enim decima sexta *Epistularum* libri octavi, ubi Ciceronis imitatores vituperat, exclamat⁷): *Non exprimis, inquit aliquis, Ciceronem. Quid tum? non enim sum Cicero; me tamen, ut opinor, exprimo*. Ut ad Petarcam redeam, nunc quaerendum est, quomodo, quippe qui animum operibus optimorum Latinitatis scriptorum imbuisset, imitationem vitare potuerit. Eam vitare valuit, quia id, quod apud illos legerat, suum factum erat. Scribit enim in secunda epistula libri 22¹ (12–14): *Legi apud Vergilium apud Flaccum apud Severinum, id est Boethium, apud Tullium; nec semel legi sed milies ... Hec se michi tam familiariter ingessere ... unumque cum ingenio facta sunt meo ... siquando ... in memoriam redeunt accidit, ut ... non tantum ut propria sed ... ut nova se offerant*⁸). Eandem sententiam iam in opere *De otio religioso*⁹) aperuerat, ubi multa ab Augustino se mutuatum esse confitetur, sed adiungit: *... longo studio multoque precio temporis quesita aliena non debeant videri, quod, ut Senecae placet* (epist. 59,1), *magnificae voces publicae voces sint*.

6) Cf. Gmelin, op. cit., p. 123: „...so liegt er“ (der Nachdruck) „in dem Brief an Boccaccio ... entschieden auf der Wahrung der Originalität ...“

7) Politianus anno 1494^o duodecim *Epistularum* libros in unum collegit. Epistula, de qua dicitur, *Angelus Politianus Paulo Cortesio suo s.d.* inscripta, exempli gratia invenitur in opere *Prosatori latini del Quattrocento*. A cura di E. Garin, Milano 1952, p. 902–904. Locum hic laudatum vide in p. 902.

8) De scriptoribus, quos Petarca imitatus est, vide quod scribit G. Martellotti, op. cit., p. 78–79: «...non solum in Ciceronis pratis Petarca flores quaesivit...; immo ex omnibus fere scriptoribus ... aliquid sumpsit: ex Apuleio vel Boethio vel Augustino vel Lactantio.» De novitate, de qua Petarca hic loquitur, cf. Bosco, op. cit., p. 130: «...il Petarca ... sente in una certa maniera perchè così gli antichi avevano sentito ... la letteratura ... è il tramite necessario attraverso il quale l'esperienza gli si tramuta in pensiero e in sentimento. E' per questo che egli può dire ... che ci sono dei passi di scrittori antichi che gli si presentano sotto la penna come suoi, anzi addirittura come nuovi, cioè come pensati da lui nel momento dello scrivere.»

9) F. Petarca, *Opere latine*. A cura di A. Bufano, I, Torino 1975, p. 584.

Redeamus ad epistolam, a qua initium sumpsimus. De adiutore suo loqui pergit Petrarca dicens (10): *Interdum alieni dulcedine raptus ingenii, contra poeticam disciplinam, id est artem, sic in arctum desilit, ut operis lege vetitus referre pedem, hoc est reverti ad stilum suum, nisi visus et cognitus non possit* (10). Hic quoque scriptor Horatium verbis leviter mutatis imitatur. Poeta vetus enim in *Arte Poetica* (134–135) alios monet, ne exemplaria nimis serviliter reddant. Ait enim: ... *nec desilies imitator in artum, / unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex*. Ut Horatius, ita Petrarca non ignorat eum, qui interdum opus quoddam alienum imitatus sit, ad suum ipsius stilum difficulter redire posse. Nam tum stilum imitatoris a dicendi genere operis alieni discrepare apparet. Propterea *curandum imitatori esse, ut, quod scribat, simile, non idem sit eamque similitudinem talem esse oportere ... qualis filii ad patrem* (11)¹⁰). Deinde diligentius rem Petrarca exquirat scribens (13): *Sic ... nobis providendum ut cum simile aliquid sit, multa sint dissimilia et id ipsum simile lateat ... ut intelligi simile queat potius quam dici. Utendum igitur ingenio alieno utendumque coloribus, abstinendum verbis (alienis)¹¹; illa similitudo, quae in ingenio alieno posita est, latet, hec, quae verbis alienis continetur, eminet; illa poetas facit, hec simias* (13).

Et in epistula secunda libri 22ⁱ (20–21) scriptor noster de illa similitudine agit. *Sum, inquit, quem similitudo delectet, non identitas, et similitudo ipsa quoque non nimia, in qua sequacis, id est imitatoris, lux vel virtus dicendi emineat, ... non paupertas ... Nolo ducem qui me vinciat (cogit in artum), sed precedat ... sit mihi libertas; non prohibear ... inaccessa loca, in quae alii nondum penetraverunt, tentare, id est niti pervenire.*

10) Petrarca pergit scribere his verbis: *In quibus cum magna sepe diversitas sit membrorum, umbra quedam et quem pictores aerem vocant ... similitudinem illam facit, que statim viso filio patris in memoriam nos reducat* (12). Ad haec Adelia Noferi, *L'esperienza poetica del Petrarca*, Firenze 1962, p. 98–99, acute adnotat verba imprimis «umbra quedam ...» explicans: «... equilibrio difficile di tradizione e di invenzione, arcana mescolanza ... linguaggio insieme degli antichi e proprio, e perciò appunto più altamente ed inconfondibilmente proprio.»

11) Ad extremum enuntiatum cf. G. Velli, *La memoria poetica del Petrarca*, Italia medioevale e umanistica, 19, 1976, p. 186: «All' ombra della massima «Utendum ... verbis» ... ogni lettore ... potrà raccogliere un buon numero di esempi. Ci troviamo, in tali casi, dinanzi a puntigliose variazioni verbali di testi, per l'area concettuale prescelta, non del tutto imprevedibili. Il margine di libertà che il poeta si riserva sarà da cogliere o nell' adozione di un diverso registro espressivo o anche in un ingegnoso procedimento di *contaminatio*: nella combinazione cioè di passi classici da uno o più autori, che ... vengono portati nel testo del Petrarca a una funzionalizzata compresenza.»

Politianus in epistula supra allata¹²⁾ ad Petrarcam accedit. Nam ille quoque simia esse respuit. Monet enim eos, qui principatum tenuisse putentur eloquentiae, similes inter se esse. Quae ii scribant, qui tantum ex imitatione componant, ea carere viribus et vita. Istos iacere, dormire, stertere. In *Oratione super Fabio Quintiliano et Statii Sylvis*¹³⁾ addit: *Itaque cum maximum sit vitium unum tantum aliquem solumque imitari velle, haud ab re profecto facimus, si non minus hos, id est scriptores primi saeculi p. Chr. n. exeuntis, ut Quintilianum et Statium, quam illos, id est summos, ut Ciceronem, praeponimus, si quae ad nostrum usum faciunt undique elicimus...*

Contra Paulus Cortesius, ubi Politiano respondet (Politiani epist. VIII 17)¹⁴⁾, a Ciceronis quidem imitatione non deterretur. Mavult enim esse assecla et simia Ciceronis quam aliorum alumnus aut filius. Solius Ciceronis, haud cuiuslibet scriptoris veteris, simia esse vult. Nam affirmat¹⁵⁾: *Similem, scilicet scriptorem, volo, mi Politiane, non ut simiam hominis, sed ut filium parentis*. Qua sententia ad Petrarcam accedit, qui, ut iam vidimus, eandem similitudinem expetit. Cortesius addit haec verba¹⁶⁾: *Illi ipsi, qui se niti dicunt ingenii sui praesidiis et viribus, facere non possunt quin ex aliorum scriptis eruant sensus... ex quo nascitur maxime vitiosum scribendi genus, cum modo sordidi et inculti, modo splendidi et florentes appareant*. Politiani, qui exemplum sibi a Petrarca capit, et Cortesii sententiis de imitatione inter se comparatis sequitur, ut ab imitatione nemo abstinere possit, nisi magna dicendi virtute et praeclara ingenii vi praeditus sit. Petrus Bembi Cortesii epistulam bellam et gravem, ut dicit, laudat, *qua is Politiani... levitatem fregit qui Ciceronianam illam scribendi rationem atque formam, a qua longiuscule abfuit, sese assequi nullo modo posse cum videret, ad eos damnandos, qui sibi illum exprimendum sumsissent, quique omnino stylum imitatione aliqua colerent, se convertit*¹⁷⁾. Bembi

12) Op. cit., p. 902.

13) Apud Garin, op. cit., p. 878.

14) Apud Garin, op. cit., p. 908.

15) Op. cit., p. 906.

16) Op. cit., p. 910.

17) Philippus Melancthon in libro *Elementorum Rhetorices* secundo, quamquam omnino aliis verbis utitur, plane Bembi sententiam in Politiano vituperando sequitur scribens: *Nam Politianus parum liberaliter facit, qui videtur ideo detertere alios ab imitatione Ciceronis, quia cum se natura ad aliud dicendi genus deduci intelligeret, iudicio videri voluit, id quod ipse consecutus non esset, improbare*. Nullo modo autem id e Politiani locis supra allatis colligi potest. Melancthonis verba leguntur in *Melancthonis Operibus* a C. G. Bretschneider in Corpore Refor-

sententia, quae in eius epistula ad Picum Mirandulae missa legitur, *maxime omnium Cicero ad recte scribendi speciem ... divinam ... atque absolutissimam*, quae in Deo existeret, *respiciebat*. Qua de causa eos vehementer probavit, *qui prosa oratione scripturi Ciceronem sibi unum ad imitandum proponerent*¹⁸). Picus Mirandulae autem idem sensit ac Cicero, qui in *Oratore* (II 7–8) id sibi in arte dicendi sequendum proposuisset, *quo nihil esse posset praestantius quodque cogitatione tantum ... complecteremur*. Itaque *nos simias non esse, ... non unum aliquem ... scriptorem omnium maximum atque summum, sed omnes bonos imitari oportere contra Bembum adseveravit*¹⁹). Erasmus Roterodamensis medium inter Picum et Bembum locum tenuit, quia, quamquam Ciceronem imitandum commendavit, tamen censuit eum *non ita adamandum, ut a ceteris omnibus abhorreas. Neque enim, ait, est necesse, ut quemquam totum imiteris*²⁰).

Etiam Ioannes Ludovicus Vivès de imitatione Ciceronis egit. In medio enim libro quarto operis *De tradendis disciplinis*²¹), primo anno 1531^o editi, habet haec: *Sunt qui ex omnibus Ciceronem unum deligant, quem effingant solum*. Scriptori autem Ciceronem unum esse imitandum negat. Nam pergit scribere: *Habet quidem*

matorum editis, vol. 13, p. 496, Halis Saxonum 1846. Reformator eodem loco Ciceronem summis laudibus effert. Loquitur enim *de eius infinitis virtutibus, quarum vel umbram referre non exigua laus erit, atque ego vel obscura lineamenta Ciceronis malim, quam nativam Politiani aut Gellii faciem*. Melancthonis sententia Cicero longe plus quam ceteri scriptores imitandi sunt. Ita *hunc, inquit, nobis magistrum, hoc exemplum maxime proponere debemus, ut scribentes imaginem orationis eius intueamur ad eamque cogitationes ac stylum dirigamus ... exempla ... ostendemus, ut intelligi possit, quantum praestet Ciceronem potius quam alios sequi ... Proinde eligendus est Cicero, cuius orationem nobis velut archetypum proponamus, in quam mentem atque oculos defigamus* (op. cit., vol. 16, pp. 723 et 725). Commercium epistularum inter Picum Mirandulae et Bembum, de quo dicitur quodque Melancthon novisse videtur, annis 1512^o et 1513^o habitum, Melancthoni opus postea, scilicet anno 1531^o et denuo anno 1542^o, editum est.

18) Cf. Opere del Cardinale P. Bembo. Tomo quarto. In Venezia 1729, pp. 334–335 et 337.

19) Cf. Le Epistole De imitatione di G. F. Pico della Mirandola e P. Bembo. Ed. G. Santangelo, Florentiae 1954, pp. 27 et 65.

20) Cf. Erasmus von Rotterdam, Dialogus cui titulus Ciceronianus sive de optimo dicendi genere ... Liber. Eingeleitet und mit Anmerkungen versehen von Th. Payr, Darmstadt 1972, pp. 346 et 348. *Ciceronianus* anno 1528 divulgatus est.

21) I. L. Vivis Opera omnia. VI. Valentiae 1785, p. 362–363. Cf. Martellotti, op. cit., p. 78: «Quae Senecae praecepta saepenumero laudata invenimus apud omnes qui post Petrarcam de eadem re disseruere: apud Politianum exempli gratia in epistula ad Paulum Cortesium, apud Ioannem Franciscum Picum Mirandulae in libello de imitatione ad Petrum Bembum, apud Erasmus ipsum in dialogo *Ciceroniano*.»

optima Cicero, sed nec omnia, nec solus. Tullii imitatoribus obicit eos non tam animum orationis ad exprimendum contemplari quam exteriorem verborum ac stili faciem et eo, qui ad imitationem hanc caloris et virium non satis afferat, nihil esse frigidius. Vivès iisdem fere verbis usus ac Politianus illos imitatores damnat dicens: *Iacet enim tota oratio, motu et vita caret.* Multo plus igitur ad Politiani quam ad Cortesii sententiam accedere videtur.

Sed redeamus ad Petrarcam! In epistula undevicesima libri 23ⁱ ita pergit scribere (13): *Standum denique Seneca consilio, quod ante Flacci erat, ut scribamus scilicet apes mellificans, non servatis floribus sed in favos versis, ut ex multis et variis unum fiat, idque aliud et melius.* Hic quoque Petrarca veteres imitans eos valde mutat. Seneca enim (epist. 84,3) habet: *Apes debemus imitari quae ... flores ad mel faciendum idoneos carpunt deinde quicquid attulere, disponunt ac per favos digerunt ...* Cum Seneca dispositionem ab apibus effectam premat, Petrarca mutationem florum in favos eminentiorem facit. Rursus Horatius, ut indolem suam Pindaro opponat, apium laborem illustrat his verbis (c. IV, 2,27–31): *... ego apes Matinae / more modoque / grata carpentis thyma per laborem / plurimum ... operosa parvus / carmina fingo.*

Petrarca iam in epistula octava libri primi²²⁾ pluries scriptorem vel poetam in eandem sententiam cum apibus comparaverat. Habet enim ibi (2): *Apes in inventionibus, id est in rebus invenientibus, imitandas, quae flores, non quales acceperint, referunt, sed ceras ac mella mirifica quadam permixtione conficiunt²³⁾.* Addit elegan-

22) Cf. Petrie, op. cit., p. 14: «According to G. Billanovich, this letter and the two discussed above (Fam. I,8 and 9) are all from the same period, that is 1350–1, when Petrarch set to work on the collection of the letters.»

23) Hic Senecam (epist. 84,3), ut ipse dicit, Petrarca imitatur pergens scribere: *Eius autem non sensum modo, sed verba Macrobius in Saturnalibus [I praef. 5] posuit; ut michi quidem uno eodemque tempore quod legendo simul ac scribendo probaverat, rebus ipsis improbare videretur; non enim flores apud Senecam lectos in favos vertere studuit, sed integros et quales in alienis ramis invenerat, protulit (3).* At Macrobius re vera Senecae verba iam a nobis allata leviter mutavit. Habet enim: *Apes enim quodammodo debemus imitari, quae vagantur et flores carpunt, deinde quicquid attulere disponunt ac per favos dividunt.* Macrobius igitur post flores omittit ad mel faciendum idoneos et pro digerunt ponit dividunt. Magis a Seneca differt verbis sequentibus, quae sunt *et suum varium in unum saporem mixtura quadam et proprietate spiritus sui mutant.* Seneca enim (4) enuntiato interrogativo disiunctivo utitur, cuius primam partem Macrobius sensum eius amputans supprimit. Habet enim: *De illis, scilicet apibus, non satis constat, utrum sucum ex floribus ducant, qui protinus mel sit – haec est pars omissa –, an quae collegerunt, in hunc saporem mixtura quadam et proprietate spiritus sui mutant.* Certe Petrarca plus quam Macrobius Senecae verba mutat et in breve cogit eodemque tempore auget. Ita pro mixtura quadam scribit mirifica quadam permixtione.

tioris esse solertie ut, apium imitatores, nostris verbis quamvis aliorum hominum sententias proferamus (4). Deinde declarat: Nos autem, quibus non tam magna contigerunt, ut per nos ipsos magnificos sensus possimus exprimere, apes imitari non pudeat (17)²⁴). Postremo monet: Neve diutius apud te qualia decerpseris maneant, cave: nulla quidem esset apibus gloria, nisi in aliud et in melius inventa converterent. Tibi quoque, siqua legendi meditandique studio reppereris, in favum stilo redigenda suadeo (23–24)²⁵).

Idem fere ac Petrarca Hieronymus Vida in versibus 545–554 libri secundi *Artis Poeticae*, anno 1527° editae, sentit. Poetas futuros enim adhortatur, ut exemplum a Vergilio, qui fulgere dicitur magni exuvias indutus Homeri, petentes *inventum* Argivum, scilicet Graecorum, *in patriam*, id est Latinam, convertant *vocem*. Id non pudori esse addit, quia Latini omnia aliunde accepta in melius possint referre.

Simili modo Petrarca, cuius epistolam Vida fortasse legerat, apud alios *inventum* in aliud et in melius convertenda esse censet. Etiam facile comprehendes Vidam hic verbis partim servatis partim leviter mutatis Ciceronis sententiae assentiri, qui rep. II 16,30 scribit: *multa intelleges etiam aliunde sumpta meliora apud nos multo esse facta, quam ibi fuissent, unde huc translata essent* ... et Tusc. I,1 adiungit: *omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent*. Supervacaneum est monere neque Petrarcam neque Vidam Ciceronis opus de re publica cognitum habuisse. Ille ipse in epistula secunda ad viros illustres eius iacturam conqueritur. Contra *Tusculanae Disputationes*, ut in *Rerum Familiarium* libro XVIII° (14,11) affirmat, Petrarcae *a prima etate* ... *familiarissimae fuerunt*. Id eo confirmatur, quod eas saepissime laudat aut designat²⁶). Itaque Petrarca in epistula supra allata (I 8) verba *nisi in aliud et in melius inventa converterent* scribens *Tusculanarum* initium fortasse meminerat. Idem de Vida coniciendum, quia *Tusculanarum* editionem principem annis 1498 et 1499 Mediolani editam vel codicem quandam

24) Leviter Petrarcae verba, sed non sententiam, mutavi, ut textum eius contraherem.

25) Cf. Gmelin, op. cit., p. 123: „Damit ist deutlich die Forderung des Neugestaltens in seinem eigenen einheitlichen Stil und über Quintilian und Seneca hinaus die Idee des Wettstreits, des Bessergestaltens, ausgesprochen.“

26) Cf. ad rem indicem *Familiarium Rerum* editionis a V. Rossi institutae, Florentiae 1942, vol. IV, pp. 320–321.

inspicere poterat. Adiungitur eum stilum prosae orationis ad exemplum Ciceronis formavisse.

Ut ad Petrarcam revertar, Ioannem Malpaghini de imitatione secum consensisse narrat, sed alienis poetis uti exemplo suo permissum habere duxisse (14). Quod Petrarca valde admiratur, quia id magnum errorem esse putat. Nihil enim magis egisse declarat quam ut sui ipsius et multo maxime praecedentium vitaret vestigia (15). Minus severe in epistula secunda libri 22ⁱ (20) statuerat: *Sum quem . . . non semper aliena vestigia sequi iuvet; sum qui aliorum scriptis non furto, sed precario uti velim in tempore, sed dum liceat, meis malim uti*²⁷). Tum in epistula posteriore Malpaghini, ut Petrarcam alienis usum esse demonstret, finem versus eclogae sextae haud procul a fine positi, id est versus 193ⁱ, adfert, ubi Petrarca scripserat: . . . *atque intonat ore* (15). *Obstupui*, ait Petrarca, *sensi enim . . . quod me scribente non senseram finem esse Virgiliani versus sexto divini operis, scilicet Aeneidos, (16)*. Versus est 607^{us}, quo Furia *exsurgitque facem attollens atque intonat ore*. Poeta noster se erravisse confitetur et epistolam ad finem perduens Vergilium orat, ne moleste ferat, si, cum is Homero, Ennio, Lucretio multisque aliis multa saepe rapuisset, ipse non rapuerit, sed modicum aliquid inadvertens sustulerit (16–17)²⁸). Error, in quem incidit, Petrarcae, ut humiliter adiungit, demonstrat non ullius quamlibet docti viri studium sic par esse rebus, quin multum semper humanis desit intentionibus perfectionem sibi reservante Illo a quo est modicum hoc quod scimus aut possumus.

Aretii

Godo Lieberg

27) In paragraphis 22–23 de versu 288^o Bucolici carminis Xⁱ monet, ubi antea scripserat *solio sublimis acerno*. Sed, cum animadvertisset Vergilium in *Aen. VIII, 178 solioque invitat acerno* scripsisse, verba sua mutavit in *e sede verendus acerna*. De figurali interpretatione hoc loco a Sacris Scripturis a Petrarca in ipsius carmina conversa breviter agit Martellotti, op. cit., p. 79.

28) Locus memoriam revocat paragraphi 46^{ae} *Vitae Vergilii* Donatianae, ubi legitur: *Asconius Pedianus . . . obiecta ei, id est Vergilio, proponit . . . quod pleraque ab Homero sumpsisset, sed hoc ipsum crimen sic defendere adsuetum ait: . . . facilius esse Herculi clavam quam Homero versum subripere*. Petrarca verba Donati variare voluisse videtur. Id potuit facere, quia ipse Donati in Bucolica commentarium, quod a *Vita* initium capit, repererat et propterea bene noverat. Postea opus denuo periit. Cf. ad rem H. Rüdiger, *Geschichte der Textüberlieferung der antiken und mittelalterlichen Literatur*, I, Zürich 1961, p. 534.